



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Idea Theologiæ Specvlativæ**

**Petrus <a Sancto Josepho>**

**Coloniæ, 1648**

VII. De possibilitate visionis Dei, & de lumine ad eam requisito.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38884**



## CAPUT VII.

*De possibilitate visionis Dei, & de lumine ad eam  
requisito.*

**R**ESOLUTIO I. *Deus potest in seipso clarè videri  
ab intellectu creato, non tamen natura viribus.]*  
PRIOR PARS EST de fide, potestque probari ex  
Scriptura *Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi  
Deum videbunt. 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est,*  
quæ & similia ab Ecclesia, & Patribus intelliguntur  
de visione clara, qua Deus videtur in se, non au-  
tem in objecto aliquo prius cognito.

\* *Deinde ab actu ad potentiam valet consequentia;*  
at de fide est, beatos de facto clarè Deum videre, ut  
in se est, neque talem visionem differri usque ad diē  
iudicii, ut definitum est à Concilio Florentino, de-  
creto de Purgatorio, & à Benedicto XI. in Extrauag.  
Benedictus Deus, à recentioribus relata.

\* *Tandem ut arguit S. Doctor 1. p. quæst. 12. art. 1. cū  
ultima hominis beatitudo in altissima ejus operatio-  
ne, quæ est operatio intellectus, consistat; si intelle-  
ctus creatus Deum videre nequit, vel ille nunquam  
beatitudinem obtinebit, vel in alio quam in Deo e-  
jus beatitudo consistit; quod à fide alienum est, quia  
perfectio ultima creaturæ consistit in conjunctione  
ad suum principium.*

*Addunt nonnulli varias rationes ex solo lumine  
naturæ sumptas, quibus idem demonstrari putar, sed  
frustra: nam lumen naturale non potest aliquid de-  
monstrare, nisi ex causis aut effectibus naturalibus:  
visio autem Dei cū sit ordinis supernaturalis, non  
habet causas vel effectus naturales, per quos illius  
possibilitas demonstrari possit.*

\* *Dices, nonne cognoscimus naturaliter, quālibet  
potentiam, saltem elevatam, posse attingere suū ob-  
jectum; Deumque; cū sit ens, contineri sub objecto  
intellectus? Respondeo non satis constare, ex solo  
naturæ*



naturæ lumine, utrum ens in genere, prout completitur naturale, & supernaturale; sit objectum intellectus creati. Neque, etsi hoc detur, inde colligi, stando præcisè in lumine naturali, Deum posse ab intellectu creato perfectè, & quidditivè, ut in se est, cognosci: quia dici poterit, minorem cognitionem sufficere.

*Posterior etiam pars est de fide, ut statutum est in Cōcilio Viennensi sub Clem. V. contra Begardos & Beguinas. Probatum autem 1. Quia homo non potest naturaliter assequi media necessaria ad obtinendam visionem Dei, ut suppono ex alijs dicendis, ergo multo minus sibi relictas ipsam Dei visionem assequi poterit 2. Quia modus cognoscendi sequitur modum essendi, cum cognitio fiat secundum quod cognitum est in cognoscente, & cognitum sit in cognoscente, secundum modum cognoscentis, ut arguit S. Thomas art. 4. Atqui esse Dei est altioris ordinis quam esse creaturarū intellectualium, ergo hæc non possunt Deum naturaliter videre, ut in se est.*

*\* Dices, si hæc ratio valeret, non posset Angelus inferior naturaliter videre superiorem, ut in se est; cū non habeat tam perfectum essendi modum. Respondeo id non sequi, quia Angelus inferior cum superiori convenit, in ratione quadam essendi ejusdem ordinis, quatenus uterque est substantia creata, intellectualis, immaterialis, participans eandem compositionem metaphysicam, &c.*

*Notar. Chryostomum quando interdum ait Deū à nulla creatura videri posse, loqui de cognitione comprehensiva, qualem sibi arrogabant Anomæi, contra quos disputat. 2. Ex eo quod Deus est objectum nostri intellectus, non sequi nos posse naturaliter Deum videre, quia Deus clarè visus est tantum objectum nostri intellectus, ut elevati per auxilium supernaturale.*

RESOLUTIO II. *Beati de facto vident Deum per lumen gloria.] EST DE FIDE sub iis terminis, ut constat*



constat ex Clementina. Ad nostrum, de hæreticis, ubi damnantur Begardi & Beguinæ quod dicerent, animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum. Per lumen autem gloriæ communiter intelligitur qualitas aliqua supernaturalis & habitualis, qua intellectus creatus roboratur, & elevatur ut essentiam divinam clarè & intuitivè videat. Congruum enim est ut creatura elevetur per habitum quendam supernaturalem ad visionem Dei, ut nimirum talis actus fiat connaturali modo, nempe à principio intrinseco & proportionato.

*Vnde* refelluntur qui putant, prædictam definitionem intelligi, sive de lumine increato intellectus divini, sive de lumine aliquo actuali, sive de specie intelligibili divinæ essentiæ: non enim potest intellectus creatus formaliter intelligere per ipsum lumen divinum, & ad visionem permanentem requiritur lumen permanens, idque distinctum à specie impressa divinæ essentiæ: tum quia hæc de facto non datur in beatis, tum quia quamvis daretur, necessarium esset lumen distinctum ex parte potentiæ.

*Refelluntur* etiam qui dicunt, lumen gloriæ deservire ad solum ornatum potentiæ, vel tantum ut objecto clarè proposito, possit intellectus propriis viribus in illud tendere: siquidem potentia naturalis est nimis improportionata, ut assurgat ad claram Dei visionem, nisi ad hoc elevetur & juvetur per principium aliquod ejusdem ordinis.

*Nota*, quod cum essentia divina sit intimè præsens intellectus beatorum, frustra in eodem poneretur species illius impressa; at lumen gloriæ se tenet ex parte intellectus, eumque elevat ad visionem Dei, modo connaturali & proportionato eliciendam: quare illius defectus non ita congruè suppleri potest.

RESOLUTIO III. *De potentia absoluta, Beati possunt Deum videre, sine lumine gloriæ.* Est communis extra Scholam Thomistarum, probaturque hac ratione.

Nam



ne. Nam ad eò certum est Deum posse per se supplere quemcumque influxum effectivum causæ secundæ, dummodo non sit vitalis, ut S. Thomas 2. p. q. 105. art. 2. dicat oppositum esse erroneum: atqui influxus luminis gloriæ non est vitalis, cum non sit à principio vitæ intrinseco, sed potius à principio quodam extrinsecus adveniente: ergo poterit Deus per seipsum talem influxum supplere.

*Confirmatur*, nam Deus continet totam perfectionem & vim agendi luminis gloriæ, & aliunde non minus conjunctus est intellectui, quam lumen ipsum ei inhaerens; quidni ergo poterit speciali concursu illius defectum supplere, sicut & supplet defectum speciei intelligibilis.

*Nota* elevationem prædictam non consistere in nuda præsentia Dei, Deus enim intimè præsens est rebus omnibus, cum tamen non omnes eleventur ad actus supernaturales; sed in peculiari assistentia, qua Deus paratus esset concurrere cum intellectu ad visionem beatificam, ex hypothesi quod defectum luminis supplere vellet.

RESOLUTIO IV. *Nullus potest creari intellectus cui lumen gloriæ sit naturale.*] PROBATUR I. Quia sequeretur creaturam, cui talis intellectus conveniret, naturaliter videre Deum clarè & intuitivè, atque adeo naturaliter esse beatam, & impeccabilem, Deumque non posse sine violentia illi denegare visionem suæ essentiae; quæ & similia non satis coherere videntur cum Scriptura, & Patribus docentibus Deum esse invisibilem respectu creaturæ, eum solū esse impeccabilem, creaturas verò omnes, quia sunt ex nihilo, peccare posse, & non posse obtinere beatitudinem nisi ex dono Dei, aliaque id genus quæ planè videntur intelligenda, etiam de creaturis possibilibus: præsertim cum hoc spectet ad majorè Dei perfectionem & eminentiam supra omnia creabilia.

*Probat* 2. Nam si lumen gloriæ alicui substantiæ esset connaturale, talis substantia deberet esse supernatura-

natura-



naturalis, quod repugnat : tum quia supernaturale dicitur quod est supra exigentiam naturæ, qua ratione gratia, & lumen gloriæ dicuntur habitus supernaturales. Unde id nō potest dici supernaturale, quod est omnino absolutum, & prædicto respectu caret, qualis est quælibet substantia completa, sive creata sive creabilis; tum quia explicari non potest, quo titulo aliqua substantia possit dici supernaturalis, nisi enim ei tribuantur perfectiones divinæ, certè quātumvis perfecta fingatur, ea variis defectibus subiacet; cumque Deus possit creare alios, & alios Angelos in infinitum perfectiores, tandem deveniendū erit ad aliquem Angelum qui ejusmodi substantiæ perfectionem adæquet, etsi nequeat dari Angelus qui sit ordinis supernaturalis.

\* *Dices 1.* Si supernaturalitas potest reperiri in genere minus perfecto, nempe in actione, & qualitate; cur non & in substantia, quæ est genus perfectius? Nonne unio humanitatis cum Verbo, est supernaturalis, simulque substantialis? *Respondeo* rationem discriminis inter substantiam, & accidentia, quoad supernaturalitatē, jam ante assignatam esse. Neque mirum videri debet, quod non omne quod competit generi minus perfecto, conveniat perfectiori; alias dicendum esset, proprietates omnes quantitatis, qualitatis, aliorumque accidentium competere substantiæ, quod absurdum est. Sicut autem non repugnat qualitas supernaturalis, ita nec substantialis modus supernaturalis: quia sicut illa, ita & iste potest supervenire substantiæ creatæ, & esse supra exigentiam illius; qua ratione unio ad Verbum, erat supra conditionem naturæ humanæ. At non est eadem ratio de substantia perfecta, & ad se existente, ut dictum est.

\* *Dices 2.* Si substantia supernaturalis non est possibilis, hoc est, vel quia est substantia, vel quia est creata; non primum, quia alias substantia divina non esset supernaturalis: non secundum, quia sic nulla  
qualitas



qualitas creata esset supernaturalis. *Respondeo* repugnare substantiæ, ut substantia est, esse supernaturalem, cum supernaturale dicat intrinsecè respectum aliquem, qui substantiæ competere nequit, Unde nec ipsa Dei substantia est propriè supernaturalis; quamvis talis dicatur, quia infinitè superat omnem substantiam creatam & creabilem.

## CAPUT VIII.

*De his quæ spectant ad objectum visionis Dei.*

**R**ESOLUTIO I. *Non datur de facto in beatis species aliqua impressa Dei, sed ipsa divina essentia se habet instar speciei impressæ, quoad visionem beatificam.* RATIO EST, quia non requiritur species impressa quando objectum est per se præsens intellectui, & non minus est immateriale quam ipsa species: Deus autem est per se præsentissimus intellectui beatorum, & immaterialissimus, ergo nulla species impressa concurret de facto ad visionem Dei, sed essentia divina se habet instar speciei, seipsam immediatè repræsentando intellectui beatorum.

*Nota 1.* Visionem beatificam ut est à Deo, posse dupliciter considerari. 1. Ut est ab illo specialiter concurrente per modum objecti. 2. Ut etiam est ab illo concurrente per modum causæ primæ & universalis: ac priori modo esse necessariam, quia essentia divina, etiam ut ratione antecedit liberum decretum Dei potest gerere vices speciei, seipsam immediatè repræsentando intellectui, cui intimè conjuncta est: posteriori autem adeoque simpliciter esse liberam, cum possit Deus denegare generalem concursum, ad eam planè necessarium. Quare ad salvandam libertatem visionis beatificæ, ex parte Dei, non opus est recurrere ad speciem aliquam expressam, liberè à Deo productam.

*Nota 2,* quòd etsi ratio divina per se loquendo, habeat vim seipsam repræsentandi intellectui creato, sine ulla specie media; impossibile tamè est quod  
intelle-